Mythologia, Francfort, 1581 - I, 11 : De sacrificiis marinorum Deorum

Auteur(s) : Conti, Natale

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre I

Ce document est une version augmentée de :
Mythologia, Venise, 1567 - I, 11 : De sacrificiis marinorum Deorum

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre I

Mythologie, Paris, 1627 - I, 11 : Les sacrifices des Dieux-marins *est une transformation de ce document*

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre I

Mythologie, Lyon, 1612 - I, 11 : Des sacrifices des Dieux marins *est une traduction de ce document*

Informations sur la notice

Auteurs de la noticeÉquipe Mythologia
Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution – Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Présentation du document

PublicationFrancfort, André Wechel, 1581
ExemplaireRegensburg (Allemagne), Staatliche Bibliothek, 999/Hist.pol.1307
Formatin-8
langue(s)

- Grec ancien
- Latin

Paginationp. 37-40
Notice créée par Équipe Mythologia Notice créée le 28/12/2018 Dernière modification le 25/11/2024

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5895?context=pdf

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5895?context=pdf

Βιστονίῃ φόρμιγγι λιγείης ἦρχεν ἀοιδῆς,
ὥς ποτε πετραίῃ ὑπὸ δειράδι Παρνησσοῖο
Δελφύνην τόξοισι πελώριον ἐξενάριξε
κοῦρος ἐὼν ἔτι γυμνὸς, ἔτι πλοκάμοισι γεγηθώς. ἱλήκοι.

Incepſa ſtatuere choros altaria circum.
Cunctis ibi iepæona Phœbum
Cantantes; vnaque OEagri filius Orpheum
Biſtonia ſumpta cithara canere incipit altè,
Horrendum vt fixis ſerpentem vate ſagittis
Ad iuga Parnaſsi ſaxoſi paruulus infans
Phœbus adhuc, nudusque, & gaudens crinibus aureis.
Sis placidus faciliſque veni.

Sic apud Virgilium Euandrus accedenti Æneæ commemorat poſt conuiuium, quæ cauſa ipſum compulerit ad illa ſacrificia inſtauranda: quippe cùm non ſolùm inter ſacrificia, ſed etiam in conuiuiis, & in omnibus ſolennitatibus antiquorum eſſent ſermones de rebus ab illis Diis geſtis. Laudes autem Deorum & hymni, dum vrerentur victimarum partes aræ impoſitæ, circa ipſam aram canebantur, at cùm vſtæ fuiſſent illæ, & quæ reſeruatæ erant in conuiuium coctæ, his veſcebantur. Deinde poſt conuiuium antequam diſcederent, gratias Diis agentes, quòd eos in conuiuium accepiſſent, vltimam ſacrificiorum partem linguas victimarum in ſacros ignes coniiciebant, & vini parum ſuper illas, vt teſtatur Apollon. lib. I.

τῆς ἐπί τε γλώσσῃσι χέοντες
αἰθομέναις.

Interea accenſis fundunt libamina linguis.

Sic etiam Homerus lib. 3. Iliad. γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον: *iniiciunt igni linguas.* Iſtud autem fiebat vbique in honorem Mercurij, cui linguæ erant conſecratæ, atque poſt exuſtas linguas gratias Diis agentes vnuſquiſque læti ex illis ſacrificiis domum diſcedebant. at nunc de ſacrificiis marinorum dicamus.

De ſacrificiis marinorum Deorum. CAP. XI.

AT verò quoniam dæmones illi qui mari præerant, pro natura loci craſſiores eſſe putabantur: idcirco in eorum ſacris craſſiora quædam corpora quàm eſſent vel nidores vel cantus offerebantur, quæ ad guſtum pertinerent, corpuſque

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5895?context=pdf

haberent magis ſolidum. Nam cùm vinum in ſacrificiis Deorum ſuperorum offerretur, & delectæ partes victimarum, tamen ex illis in ignem coniectis & concrematis nihil aliud ad eos Deos niſi nidor & vſtulatorum animalium fumus perueniebat, vel odor thuris. At in ſacrificiis marinorum Deorum res longè aliter ſe habere credita eſt. nam cùm taurus Neptuno mactabatur, tunc ſanguis colligebatur in crateres, atq; non percutiebãtur ſecuri victimæ, ſed cultris iugulabantur. Erant autem nigræ illæ victimæ, quæ vel Diis inferis, vel tempeſtatibus, vel Diis marinis offerebantur, vt patet ex lib. 3. Odyſſ. cùm ſemper in littore maris ſacra fierent marinis:

τοὶ δ' ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον,
ταύρους παμμέλανας ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.
Ad maris vndiſoni faciebant litora ſacrum,
Nigrantis tauro Neptuno qui regit vndas.

atq; cum turbato Neptuno taurus immolaretur, tũc vbi eſſet placidus, mactabatur agnus, & aper aliquando: quæ etiam animalia cùm maris naturam variis temporibus indicarent, omnia ſimul aliquando cædebantur in Nept. ſacrificiis, vt indicat Hom. lib. λ. Odyſſeæ:

ῥέξας ἱερὰ καλὰ Ποσειδάωνι ἄνακτι
ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον.
Legitime regi Neptuno ſacra peregit,
Agno, tauro, aproque ſues qui ſuevit inire.

Iugulatarum deinde victimarum in ſacris marinorum ſanguis collectus in mare è patera fundebatur cum precibus, quod genus rituum à ſacrificantibus in littore ſeruabatur. ſin autem in naui initiarentur, victimas non in pateram, ſed in mare cum precibus iugulabant, vt ait Apollonius lib. 4. in his:

ἢ δ', ἅμα δ' εὐχωλῇσιν ἐς ὕδατα λαιμοτομήσας
ἧκε κατὰ πρύμνης.
Ille preces fundens iugulauit in æquoris vndam,
Mox de puppe iacit.

Cùm iugulaſſent igitur ac diſſecuiſſent victimas, priùs exta cũ precibus, deinde vinum in aquam deiiciebant, vt ait Virgilius lib. 5. his carminibus:

Ipſe caput tonſæ foliis ornatus oliuæ,
Stans procul in prora pateram tenet: extaque ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

& Valerius Flaccus lib. 2. Argonauticorum, qui ita ſcribit:

Tum pelago vina immergens dux talibus infit.

Neque verò conuenire horum Deorum naturæ videtur illud quod ſcribitur ab Ouid. lib. 11. Metamor. qui thuris etiam odorem Diis marinis tribuit, cùm aeris tantùm numinibus, vt diximus, at non etiam aquaticis, id genus ſacrificii ad altiora tendentis conueniat: ſic enim inquit:

Ipſeq; Deus pelagi vino ſuper æquora fuſo,
Et pecoris fibris, & fumo thuris adorat.

Apud Virgil. præterea lib. 4. Georg. in ſacrificiis Oceani, quæ fiunt a Nymphis, vinum in flammas, at non in mare funditur, quod non fiebat contra ius ſacrorum, cùm illę eſſent ſub aquis, quamuis mathematicis & philoſophus acutiſſimus Hector Auſonius de antiquorum ſapientum ſententia ad chemicam artem hanc rem pertinere arbitratur. neque etiam ob eam cauſam parum conuenit is ritus Oceano, quia per Oceanum modò patrem omnium, modò humorem diuinitus in omnia naturalia corpora, omnemq; materiam diffuſum, antiqui ſignificarunt. ſic autem ait Virgil.

Oceano libemus, ait. ſimul ipſa precatur
Oceanumq; patrem rerum, Nymphasque ſorores,
Centum quæ ſyluas, centum quæ flumina ſeruant.
Ter liquido ardentem perfudit nectare Veſtam;
Ter flamma ad ſummum tecti ſubiecta reluxit.

Vtebantur autem ternario numero in ſacrificiis, quoniam ille numerus perfectus eſt, non ſolùm ob dimenſiones corporum vt ait Ariſt. in primo cœli, ſed etiam quia Deus eſt omnium quę videntur, & quę videri non poſſunt, moderator: non aliter atq; paris & imparis vim habet trias, cùm omnes ſint numeri pares aut impares: atque ſicut Deus eſt principium omnium quæ aguntur, ita primus ternarius numerus omnium reliquorum per ſe ipſum auctus triangulum cõſtituit parium laterum, quæ prima eſt earum figurarum quæ pluribus conſtant lateribus. Atqui quòd eo numero in ſacris vterentur, ita teſtatur Valer. lib. primo Argon.

Ipſe ter æquoreo libans carcheſia patre.

Nam non quouis impare gaudere dictus eſt Deus à Virgilio, ſed eo qui primus eſt numerorum imparium, & initium corporum ſolidorum conſtantium è pluribus areis. In ſacrificiis

etiam fluuiorum & patriorum Deorum ac heroum, ſiqui per flumen nauigarent (nam mos fuit antiqui, vt Diis eorum locorum ad quæ nuper accedebant, ſacrificarent antequam de naui exirent, vt ii benigni ac fauſti exciperent accedẽtes) idem ritus ſeruabatur, cùm vina in fluuios effunderentur cum precibus, vt ait Apollon. in lib. 2.

αὐτὸς δ' Αἰσονίδης χρυσέῳ ποταμόνδε κυπέλλῳ
οἴνου ἀκηρασίοιο μελισταγέας χέε λοιβὰς
γαίῃ τ' ἐνναέταις τε θεοῖς, ψυχαῖς τε καμόντων
ἡρώων· γουνοῦτο δ' ἀπήμονας εἶναι ἀρωγοὺς
εὐμενέως.

Ipſe merum è cyatho libamen fudit, & auro,
Aeſonides liquidum in fluuium: ſic inde precatur
Tellurem, indigetesq́; Deos, animasq́; ſepultorum
Heroum, placidi vt veniant, facilesque profectis.

Nymphæ item cùm aquarũ Deæ eſſe putarẽtur, craſſiora quædam & ipſæ ſacrificia requirebant: quibus mel & lac offerebatur, & mulſum. ac nunc de ſacris inferorum.

De ſacrificiis inferorum. CAP. XII.

SACRIFICIA illa quę Diis inferis fiebant, non ſolo tempore, ſed etiam colore victimarum & ritu plurimum differebant: nam, vt diximus, hæc ſacrificia non niſi per noctem fieri conſueuerunt, vt ait Virg. lib. 6.

Tum Regi Stygio nocturnas inchoat aras.

quòd autem nigræ victimæ Diis inferis immolarentur, teſtatur ita idem poëta;

huc caſta Sibylla
Nigrarum pecudum multo te ſanguine ducet.

vt autem victimæ quæ ſuperis mactabantur, cùm iugularentur, cogebantur iugulum ſuperiùs vertere: ita quæ mactabantur inferis, caput ad terram depreſſum tenebant: vt ait Cleon in primo Argonauticorũ: & Myrtilus in ſecundo rerum Leſbicarum his verbis; εἰώθασιν οἱ ἱερεῖς τὰ ἔντομα τοῖς κάτω θεοῖς ἐναγίζοντα ἐν τῇ γῇ ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλάς· οὕτω γὰρ θύουσι τοῖς ὑποχθονίοις. τοῖς δὲ οὐρανίοις ἄνω ἀναστρέφουσι τῶν ἱερείων τὸν τράχηλον σφάζοντες. *conſueuerunt ſacerdotes victimis quæ mactantur inferis, humi capita incidere: ſic enim ſubterraneis ſacrificant. At cœleſtibus immolãtes colla ſurſum*